

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7407

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Notre-Dame-du-Parc, dépendance Grandmont (prieuré, prieur)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** faux

**Datation :** [1177-1189]

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de Henri II pour les Bons-Hommes de Grammont. Rédaction amplifiée de la pièce précédente. — Acte faux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCCXXVIII, t. 2, p. 353-356.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 353. Souscription de Guillaume Fils de Raoul, sénéchal de Normandie, nommé probablement en 1177.

Voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 353 ; DELISLE, *Recueil des actes de Henri II*, Introduction, p. 296.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, dux Normannorum et Aquitanorum, comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, et omnibus ministris et fidelibus suis presentes litteras inspecturis, salutem.

Sciatis quod, cum nos dudum fundassemus domum Bonorum Hominum ordinis Grandimontis in foresta nostra de Rouvereyo, ipsisque dedissemus in puram et perpetuam pro sustentatione vite sue elemosynam vicecomitatum aque Rothomagensis cum universis et singulis pertinentiis suis, cum dominio alto et basso, et utili ac mero et mixto imperio, omnique jure ad nos pertinente vel pertinere valente quomodolibet in futurum, dicti Boni Homines, ad nos venientes, retulerunt quod a venatoribus nostris et nonnullis aliis plurimum vexabantur, et propter dominium temporale quod ad dictum vicecomitatum pertinebat in divino servitio plurimum turbabantur, nobis supplicando quatenus ipsis in premissis providere dignaremur. Nos vero, ipsorum supplicationi favorabiliter annuentes, in excambium et permutacionem premissorum, dedimus ipsis et concessimus ac tenore presentium damus et concedimus totum parcum nostrum de Rothomago, prout tendit ipse parcus et clauditur a capite pontis Secane ex parte ville Rothomagensis, et progreditur recta linea ex transverso ad aliud caput ipsius pontis, excludendo ipsum pontem, cum omnibus circumstanciis, terris, nemoribus, aquis et pratis, et quibuscunque rebus aliis mobilibus et immobilibus indifferenter, sicut a capite ipsius pontis calciata et strata regia que tendit ad villam de Sotteville et exterioribus fossatis usque ad Secanam clauduntur, et ipsum flumen Secane, prout tendit a fine ipsorum fossatorum versus quandam insulam ipsius finibus fossatorum oppositam ex directo, ipsam

insulam includendo, et a capite ipsius insule recta linea ex transverso usque in aliam ripam, prout labitur ex ulterioribus ripis usque ad pontem, ut premittitur, exclusive, cum omnibus ribargiis et insulis excrescentibus infra predictos terminos et insulis natis et nascituris, presentibus et futuris, et pertinentiis quibuscunque, ita videlicet libere et quiete quod de omnibus supradictis et quibuscunque aliis acquisitis et infra terram nostram in futurum acquirendis, presentibus et futuris, prior et Boni Homines totius ordinis Grandis Montis, qui sunt et fuerint, faciant in quibuscunque articulis suam plenissimam voluntatem, et in omnibus et singulis indifferenter habeant plenam justitiam, altam et bassam, et omne jus et dominium utile et merum et mixtum imperium et superioritatem ad nos et heredes et successores nostros pertinentes vel pertinere valentes futuris temporibus quoquo modo, sintque perpetuo domini capitales. Et nihilominus damus et concedimus memoratis priori et Bonis Hominibus et eorum successoribus universis et singulis, presentibus et futuris, plenum usagium, alto et basso (sic), vivo et mortuo, fructu et herba et quibuscunque necessariis sibi, utilibus seu quomodolibet opportunis, in foresta nostra de Rovereyo supradicta, pro quibuscunque pertinentiis suis, presentibus et futuris, et in quibuscunque aliis forestis totius terre nostre, ad recipiendum et faciendum de ipsis et in ipsis et ipsarum qualibet tanquam in et de re propria quicquid ipsis placuerit pro sue libito voluntatis, nulla a quocunque petita licencia seu in posterum alicqualiter petitura (sic). Item damus et concedimus memoratis Bonis Hominibus, in dicto parco residentibus, et ipsorum successoribus ducentas libras fortium Andegavensium, quia amplius noluerunt recipere, annuatim super vicecomitatu Rothomagi et recepta totius ducatus Normannie, videlicet centum libras in Pascha, et centum libras in festo Sancti Michaelis, persolvendas ab illis qui de cetero dictos ducatum et vicecomitatum, nostro vel successorum nostrorum nomine, gubernabunt, sub pena decem librarum ab ipsis dictis Bonis Hominibus et ipsorum successoribus solvendarum qualibet vice quod in dictis terminis non solverint requisiti. Concedimus etiam memoratis Bonis Hominibus omnes apes que in dicta foresta de Rovereyo reperiri poterunt, et unum hominem in villa de Uchello successive ad predictas muscas colligendas, qui, ratione dicte collectionis, habebit perpetuo plenum usagium in foresta de Rouvereyo supradicta quandiu placuerit Bonis Hominibus supradictis, quia dictum hominem mutare poterunt quotiescunque ipsis placuerit, vel dictas apes ad manum suam facere colligi pro sue libito voluntatis. Damusque ipsis et concedimus totam vacheriam nostram que est subtus les Moulineaux. Item damus et concedimus memoratis Bonis Hominibus duos homines in villa de Rothomago, et in singulis villis circumquaque dictum parcum per quatuor leucas, et in omnibus unum hominem in qualibet ad servitium ipsorum et suorum quorumlibet successorum, per optionem suam, tenore presentium deputamus, volentes et precipientes quod memorati Boni Homines et successores sui, cum hominibus suis et quibuscunque pertinentiis suis, acquisitis seu acquirendis per ipsos et ipsorum quoslibet successorum, perpetuo quomodolibet in futurum, et dictarum pertinentiarum habitatores, cum universis et singulis familiaribus et bonis ipsorum et quorumlibet eorumdem, sint exempti, liberi et immunes per totam terram nostram, tam per terram quam per aquam, ab omni pedagio, theloneo, pontagio, censu, reddito, stallagio, lestagio, pesagio, monoianagio, foagio, vinagio, pasnagio, passagio, excubiis, exercitu et equitatu, fortalio, venda, bianno, minagio, acquitamento, rivagio, fossagio, muragio, excubiis (sic), molinagio, fornagio, vinagio, tallia, et ab omnibus emendis et forefactis, servitiis, et de omnibus consuetudinibus, occasionibus, exactionibus, impositionibus, quibuscunque servitutibus, quocunque nomine nuncupentur, inductis seu inducendis, impositis seu futuris temporibus quomodolibet imponendis, ita etiam quod de cetero ipsi seu ipsorum aliqui non teneantur in aliquo accidenti stare justitie coram nobis aut hominibus et subditis nostris seu nostris vel ipsorum heredibus aut successoribus quibuscunque ; sed prefati prior et Boni Homines totius ordinis Grandimontis et eorum quilibet successorum, in singulis locis et pertinentiis sui ordinis, acquisitis seu acquirendis, in Anglia, Normannia, Aquitania, et Andegavensi et Cenomanensi comitatibus, ceterisque terris nostris et heredum et successorum nostrorum, et nostrorum et ipsorum quorumlibet successorum, de universis et singulis suprascriptis omni conquerenti per se vel per alios justitiam exhibebunt, nec ab ipsis ad nos, homines aut subditos nostros, aut nostros seu heredes ipsorum et quoslibet successores poterit alicqualiter reclamari, quia nos, nostro et omnium et singulorum predictorum nomine, tenore presentium omne jus et dominium, altum et bassum, omnium et singulorum predictorum, acquiritorum et acquirendorum, presentium et futurorum, et mixtum et merum imperium et superioritatem, ad nos aut suprascriptos vel ipsorum alterum pertinentia vel futuris temporibus pertinere valentia quoquo modo, in prefatos priorem et Bonos Homines et ipsorum quoslibet successores tenore presentium transferimus pleno jure, ita videlicet quod omnia et singula, infra predictos fines per ipsos et ipsorum singulos acquisita seu in futurum quomodolibet acquirenda, ex quo per annum et diem ad manum suam pacifice tenuerint, a nullo retrahi valeant seu quomodolibet revocari, quibuscunque titulis sive causis, seu ipsos compellere extra manum suam ponere seu finantias quascunque pro ipsis solvere vel quemlibet predictorum, sed ipsa et ipsorum singula perpetuo possideant sub modo, forma, conditionibus, libertatibus, dominiis et jurisdictionibus

supradictis, quia ipsa et eorum singula ex nunc amortisamus, decernentes quod prefati Boni Homines possint acquirere et augmentare se de cetero infra universos et singulos fines memoratos pro sue libito voluntatis, et acquisita et acquirenda tenere cum tanta libertate quanta nos uti possumus aut debemus, ita etiam quod, quicumque ad ipsorum pertinentias vel ipsorum aliqua causa refugii accesserit, postquam fuerit infra pertinentias memoratas, sit liber et absolutus ac si esset in ecclesia consecrata. Nos vero premissas universas et singulas concessionem et libertates per totam terram nostram et omnium predictorum promittimus facere et precipimus inviolabiliter observari, dictisque terris super ipsis observandis perpetuam legem imponimus, ita quod tenentes ipsas terras vel ipsarum aliquam, qui universa et singula supradicta diligenter non fecerint observari, ipsis et ipsorum singulis exheredati sint ipso facto. Ceteri vero contra venientes vel ipsos aut ipsorum aliquem contra premissa vel eorum aliqua impediens vel quomodolibet perturbans, cujuscunque dignitatis, conditionis aut status extiterint, pena centum marcarum argenti, absque dilatione dictis Bonis Hominibus persolvenda, mulctentur, vel tamquam inimici nostri vel reipublice a patria exulentur ; decernentes etiam ex certa scientia et de nostre plenitudine potestatis quod nulla consuetudo vel jus contra premissa vel ipsorum aliqua a quacumque persona valeat quomodolibet allegari, seu quod premissis vel eorum aliquibus usi non fuerint, quia ipsis et ipsorum singulis concedimus quod premissis omnibus et singulis uti et frui incipiant et continent pro sue libito voluntatis, nullaque longeva temporis prescriptio ipsos privare valeat jure suo, que omnia et singula, prout premissis vel premissorum aliquibus fuerint contraria, viribus penitus vacuumus.

Acta fuerunt hec presentibus Guillelmo Filio Radulfi senescallo Normannie, Reginaldo de Curteney, Hugone de Morvic, Martino de Ose, [de Sancto] Petro super Divem (sic).

In quorum omnium et singulorum perpetuam firmitatem presentem paginam sigilli nostri munimine jussimus roborari.

Acta fuerunt hec regni nostri anno secundo, mense julio, die tertio.